



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XXVI. De Jejunio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XXVI.

## De jeunio.

**S**Empronius postquam per dispensationem obtinisset facultatem comedendi carnes in Quadragesima, de effectu hujus suæ facultatis dubitans, ex suo Confessario

Quær. 1. Utrùm vi hujus dispensationis licitum sibi sit plures justas refectioes sumere?

Quær. 2. Si plures refectioes sumere sibi licitum sit, an sapius etiam in die comedere carnes possit?

Quær. 3. Si pro aliquo die vel pluribus abstineat à carnibus, utrùm tamen licitum sit secundam refectioem sumere?

## Synopsis.

## §. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

*Utrùm talis plures justas refectioes sumere possit?*

1. Præmittuntur quædam scitu necessaria.
2. Afferuntur rationes deneantium secundam refectioem.
3. Juxta Lessium dispensatus ob horrorem à piscibus non potest secundam refectioem sumere, bene autem dispensatus ob naturæ debilitatem.
4. Eò quòd præceptum carni-um comestioem prohibens sit divisum à præcepto prohibente secundam refectioem.
5. Juxta alios dispensatus quoad esum carni-um, eo ipso potest secundam refectioem sumere.
6. Dispensatus ad secundam refectioem non est eo ipso dispensatus quoad comestioem carni-um,

K k

7. In



7. In diebus jejunii ex duplici capite abſtinentia carniſum eſt præcepta.
8. In univerſali diſpenſatione quoad eſum carniſum, carniſum ſemel ſumptis non datur obligatio ad omiſſionem ſecundæ reſectionis.
9. Idem tenendum de diſpenſatione cum particulari perſona.
10. Præceptum jejunii quæ tale eſt diviſibile.
11. Horam conſuetam reſectionis anticipans non eſt abſolutus à jejunio.
12. Quænam res ſit diviſiva, & quænam indiviſiva?
13. Cur quidam Epifcopi diſpenſent in carniſum, non autem in ſecunda reſectione.
14. 15. Nihil probatur ex eo, quòd diſpenſatio accommo-  
detur neceſſitati.
16. Afferuntur rationes hanc facultatem denegantium.
17. Probabiliùs licitum eſt ſæpius comedere carnes, ſi cum tota communitate quoad illas diſpenſatio abſque ulla reſtrictione eſt facta.
18. Idem tenendum. Probabiliùs eſt in diſpenſatione cum privato ob debilitatem aut morbum abſolute facta.
19. Per diſpenſationem ad com-eſtionem carniſum pro ſingulis diei horis à jejunio exemptio conceditur.
20. Quia ſemper adhuc durant diſpenſatio & infirmitas excuſans.
21. Et ambæ leges prohibentes com-eſtionem carniſum ſunt ſublata.
22. Si ratio conceſſi minoris poſt ſe trahit conceſſionem majoris, illa poſt ſe trahit iſtam.
23. Probabiliùs etiam bis comedere carnes poterit, cum quo in iſtis diſpenſatum eſt ob horrorem à piſcibus.

## §. II.

### Reſolvitur ſecundum quæſitum.

*Utrum in Quadrageſima diſpenſatus quoad carnes, hæſ ſæpius de die ſumere poſſit?*

## §. III.



## §. III.

Resolvitur tertium  
quæsitum.

*An taliter dispensatus alteram refe-  
ctionem sumere possit die, qua  
à carnibus abstinet.*

24. Responsio ad quæsitum est affirmativa.
25. Quia talis per licentiam comedendi carnes jam est exemptus à jejunando.
26. Facultas comedendi secunda vice carnes, ab harum comestione ita dependet, ut non amplius ad abstinentiam secundæ refectionis teneatur.
27. Habitualis, non autem actualis horror ab esu piscium est causa finalis ejusmodi dispensationis.
28. Si taliter dispensatus ad abstinentiam carniùm tota Quadragesima se resolverit, non amplius subsistet dispensatio.
29. Dispensatus ad esum lactiniorum, an teneatur ad abstinentiam secundæ refectionis?

## §. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

*Utrum vi hujus dispensationis licitum sit plures justas refectiones sumere?*

**P**RO faciliore solutione præsentium dubiorum erit primò notandum jejunium Ecclesiasticum esse voluntariam abstinentiam à cibo juxta Ecclesiæ ritum vel præceptum. Ita Mastrius, Sumista, & cæteri interpretes ita illud definiunt: *Jejunium est prandii, & cujuslibet cibi post cœnam subtractio, & abstinentia à carnibus, & ab iis, quæ à carnibus originem trahunt, ut à lacte, caseo, & ovis &c.*

Not. 2. Præceptum jejunii tria continere, abstinentiam à cibis vetitis, & abstinentiam à secunda refectione, & denique etiam certum tempus, seu competentem horam, quam non liceat antevertere in sumptione cibi, prætergredi autem, quantum velis, & possis, concessum sit.

K k 2

Not.



Not. 3. Habendam in hac re rationem esse verborum, quibus concessa est dispensatio. An scilicet verba diplomatis simpliciter relaxent præceptum jejunii, vel utrùm duntaxat concedant facultatem comedendi carnes die esuriali: item utrùm cum tota aliqua communitate cujusdam provinciæ aut civitatis sit dispensatum, vel cum unica duntaxat particulari persona; ac denique ex quibus rationibus, & permovementibus causis sit dispensatum.

2. Circa primum itaque quæsitum censent Graffius, Petroza & alii apud Dianam *p. 1. tract. 9. resol. 25.* Rubeus, Thomas Hurtadus *de resid. tom. 1. resol. 5. à pag. 295. de la Croix de jejun. n. 1268.* à secunda refectione abstinendum esse illi, cui permissus fuit esus carniùm, fundantur in sequentibus. Licet præceptum abstinendi à carniibus & à secunda refectione sit de substantia & essentia jejunii, est tamen hoc præceptum divisibile, seu una pars est præcepta independentèr ab altera parte: ergo istæ duæ partes sunt divisibiles, consequenter obligatio ad

unam potest manere sublata obligatione ad alteram.

Secunda ratio illorum est: dispensatur in obligatione ad unicam tantùm refectionem non hoc ipso habet facultatem comedendi carnes: ergo vicissim: Hurtadus enim pag. 292. ostendit unicam refectionem esse magis de essentia, & substantia jejunii, quàm abstinentiam carniùm: ergo, si talis non potest comedere carnes, neque dispensatus in abstinentia carniùm poterit comedere secunda vice. Id ipsum præter Hurtadum & ratio docet: Lex enim Ecclesiastica non minus abstinentiam à secunda refectione, quàm abstinentiam à carniibus præcipit: ergo utraque abstinentia est de essentia jejunii. Probat. consequ. quòd aliquid sit de natura & essentia jejunii inde desumitur, quòd Lex Ecclesiastica de jejunio ipsum præcipiat: ergo &c. Confirm. 1. Qui ex privilegio Pontificis potest horam jejunii debitam prævenire, non est eo ipso solutus à jejunio, & quidem ex communi sententia ob hanc rationem, quòd is, qui jejunii lege solvitur ex parte, non sit ex

toto



toto solutus, cum enim talis lex plura contineat, idem taliter dispensato contingit, quod illi evenit, qui ab una lege exemptus est beneficio Principis: non enim eo ipso à cæteris eximitur.

Confirmatur 2. Si dispensatus in secunda refectione non potest comedere carnes, ruunt omnes rationes, quibus probatur, quòd dispensatus in abstinentia carniū possit secunda vice comedere, uti patebit consideranti fundamenta hujus sententiæ paulò post afferenda.

Probatur 3. Ex praxi quorundam Episcoporum, qui, cum dispensant in comestione carniū in Quadragesima, addunt, se dispensando in hac lege velle, ut adhuc maneat obligatio ad abstinentiam à secunda refectione.

Probant 4. Etsi transmittatur, quòd abstinentia à carnibus sit præcipua conditio requisita ad jejunium Ecclesiasticū non completitur tamen conditiones reliquas, quæ tanquam diversi ordinis, nec ei subordinatæ (sicut est abstinentia ab ovis & lacticiis expressæ sunt in præcepto jejunii, ita, ut pertineant ad

hujus substantiam independenter ab illa.

Probant 5. Dispensatio accommodatur necessitati: ergo si necessitas adest comedendi duntaxat semel carnes, non erit dispensatio data ad comedendas illas sæpius: Atqui necessitas datur ad unicam duntaxat comestionem carniū: ergo &c. Prob. antec. subsumpti, comedens semel carnes in die sine incommodo, imò esiam cum commodo suæ salutis potest vitam transigere: ergo non dabitur necessitas sæpius comedendi. Confirmat. Si aliquis qualibet die hebdomadæ abstinere possit à carnibus, sine dubio ad hanc abstinentiam teneretur: ergo si eadem die secunda vice abstinere potest, etiam tenebitur.

Huic sententiæ quoad partem, non tamen ex toto subscribunt alii Doctores, Lessius enim *lib. 4. cap. 2. dub. 3. n. 42.* ex sententiâ Navarri & Cajetani asserit à gemina refectione abstinendum esse illi, cui concessa est facultas comedendi carnes, eò quòd à piscibus abhorreat, tunc enim juxta Lessium nulla causa subest, ob quam gemina refeccio



concedatur. Quòd si autem ratione debilitatis naturæ, vel corroborationis comestio carniū concessa sit, iudicat hic Author etiam secundam refectionem tali concessam fuisse. Reginaldus pariter *lib. 4. praxis fori penitentialis n. 168.* asserit, probabile esse, quòd is, cui ob corporis infirmitatē consulto medico concessa est facultas edendi carnes in die jejunii, eo ipso non sit in toto solutus obligatione jejunandi illo die fundat se in communiter, ut ille ait, approbata regula, ut habet Medina *in Cod. de jejunio. quest. 5. versu in ejusdem sententia.* quòd, quando alicui fideli ob causam aliquam permittitur in die jejunii ab Ecclesiastica regula in aliquo recedere, in tantum id illi permittatur, quantum se extendit talis causæ indigentia, unde si quis habet justam causam pluries comedendi absque hoc, quòd carnes comedat, abstinere debet à carnibus, & vice versa &c. Lessio atque Reginaldo consentiunt Navarrus *cap. 21. n. 22.* Emanuel Sà v. *jejunium n. 11.* Corduba *in summa quest. 143.* Victoria, quem sequitur, & citat Rodriquez *in summa*

*p. 1. cap. 24. n. 9.* Valentia. *tom. 3. disp. 9. quest. 2.* verbo *quis autem.* Bonacina *tom. 2. de preceptis Ecclesiast. disp. ultima. quest. 1. pu. 2. n. 3.*

Horum ultimus affert hanc rationem: præceptum prohibens comestionem carniū, & prohibens secundam refectionem sunt duo præcepta: ergo dispensatio in uno concessa non est extendenda ad exemptionem ab altero præcepto. Conseq. probatur. hoc privilegium est odiosum & contra jus commune, sed privilegium tale est strictè interpretandum, quantum verborum sensus permittit, ut constat ex materia de privilegiis: ergo &c. antec. pariter probatur. Præceptum quoad abstinentiam à cibus vetitis est negativum, quoad unicam autem comestionem est affirmativum, cum hanc præcipiat ex suppositione, quòd aliquis velit comedere in die jejunii; atqui præceptum affirmativum & negativum, quia habent diversas materias, sunt distincta: ergo &c. Secundò pluribus conceditur facultas comedendi bis in die, quin possint comedere carnes: ergo



ergo dispensatio in uno concessa non est extendenda ad alterum sine justa causa: sed non adest talis justa causa, quando comestio carnis conceditur solum ob nauseam piscium vel ob detrimentum, quod ex ipsorum comestione nascitur, vel dum sufficit comestio carnum absque multiplici refectioe: ergo &c.

5 Superest modò tertia sententia asserens, habenti licentiam comedendi carnes eo ipso concessam etiam esse facultatem plures refectioes sumendi, citantur pro hac sententia Filliucius, Diana, Cajetanus 2, 2. q. 147. art. 8. Navar. in summa Hisp. cap. 21. n. 25. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 70. sect. 2. Em. Sa. Jejunium. n. 11. Henriquez n. 7. cap. 13. n. 13. Villalobos tract. 23. diff. 8. n. 8. Joan. Sanchez disp. 51. select. n. 4. item Laym. in summa. lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 2. in quantum dicit, quòd vovens jejunium, in hoc servando debeat sequi formam jejunii Ecclesiastici præcepti: exin autem concedit, quòd semel jejunio fracto talis vovens postea se continere amplius non debeat, eò quòd

jejunii formam amplius observare non possit. Item hic dicit, quòd votum à præcepto Ecclesiastico jejunii in eo differat, quòd istud non jejunantes separatim, atque distinctè obliget ad abstinentiam à carnibus, imò etiam à lacticiis in Quadragesima. Toletus, Diana, Azor. Inst. Moralium, tom. 1. l. 7. cap. 10. Palao tract. 25. de Bulla eruciata, pu. 8. n. 8. asserit hanc esse probabilem, absolutè autem eam tenet tract. 15. disp. 1. p. 12. num. 15. Busenbaum, Illung tract. 4. disput. 1. art. 3. §. 1. n. 43. Tambur. Fundant isti sententiam suam in sequentibus rationibus. Jejunium ex legis intentione involvit abstinentiam carnum tanquam formam essentialem: ergo ista forma notabiliter violata reliquarum conditionum violationes non erunt amplius contra jejunii legem. Antec. probatur: Si abstinentia à carnibus non constituit essentiam & formam jejunii non poterit assignari essentia & substantia jejunii ergo &c. Prob. 2. idem antec. quod est essentialiter requisitum ad jejunium est forma essentialis illius: sed abstinentia carnis est ita essen-



essentialiter requisita : ergo &c. Probatur etiam prima consequentia, per unicam comestionem carniū essentialis hæc forma jejunii fuit destructa, ita, ut hæc forma non amplius obtineri possit, sed si jam est destructa, & non amplius forma obtinibilis jejunii, tunc reliquarum conditionum transgressiones non amplius erunt contra legem jejunii: ergo &c. Confirm. Si aliquis plura etiam à se mutuò divisibilia per modum tamen unius indivisibilis vovit, vel unum dependenter ab altero, postea autem contigerit, ut unum horum factum fuerit impossibile, vel sublata fuerit obligatio ad unum illorum efficiendum, juxta Authores talis vovens non erit obligatus ad alterum præstandum: ergo etiam, quando lex jejunii, vel quæcunque alia plura in se quidem divisibilia per modum tamen unius, aut unum dependenter ab altero præcipit, cessabit pariter obligatio ad præstandum unum ex præceptis, si obligatio ad præstandum illud, dependenter à quo alterum fuerat præceptum, est sublata: Atqui lex jejunii præcipit abstinentiam

à carnibus, atque à secunda refectio-  
ne vel per modum unius  
indivisibilis, vel abstinentiam à  
secunda refectio-  
ne dependen-  
ter ab abstinentia carniū: er-  
go, si sublata est obligatio absti-  
nendi à carnibus, est etiam sub-  
lata obligatio ab omissione se-  
cundæ refectio-  
nis. Prob. ant.  
jejunium indivisibiliter consistit  
in memorata duplici abstinen-  
tia, ita, ut una illarum ablata non  
detur jejunium: ergo lex jejunii  
præcipit istas duas abstinentias  
per modum alicujus unius totius.  
Prob. conseq. præcipit illas duas  
abstinentias sub nomine jejunii,  
& prout sunt partes jejunium  
constituentes: ergo &c.

Haectenus allatæ rationi op-  
ponitur ex ea sequi, quòd ha-  
bens facultatem sumendi secun-  
dam refectio-  
nem eo ipso etiam  
posset comedere carnes. Prob.  
sequela. jejunium ex legis inten-  
tione involvit etiam abstinen-  
tiam à secunda refectio-  
ne, seu  
unicam duntaxat refectio-  
nem, ut formam essentialem, sicuti  
idem præceptum involvit absti-  
nentiam à carnibus ut formam  
essentialem: ergo si comedens  
carnes notabiliter violat for-  
mam



mam jejunii, & ob hanc notabilem violationem reliquarum conditionū violationes non sunt amplius contra præceptum jejunii: etiam secunda vice comedens notabiliter violabit formā jejunii, & ob hanc violationem notabilem cæterarum conditionum v. g. abstinentiæ à carnibus, violationes non erunt contra legem jejunii. Antec. prob. unica tantum refectio sub eadem gravitate præcipitur, sub qua præcipitur abstinentia à carnibus, & sublatā illā æquè sublatum est jejunium, uti hoc est sublatum, si ablata fuerit abstinentia carniū: ergo æquè illa erit forma essentialis, ac est ipsa abstinentia carniū. Quòd si dicas, abstinentiam à carnibus non ideo esse formam essentialem jejunii, sed quia est pars principalior; contra est juxta Sanchezium *in præcepta Decalogi l. 4. cap. 11. n. 42.* quòd unica refectio sit pars jejunii, omnes conveniunt, etiam hæretici cum Catholicis: non autem abstinentia à carnibus: ergo hæc non videtur esse pars principalior. 2. dō. sub æqualis obligationis magnitudine præcipitur utraque:

ergo non est ratio dicendi unam esse patem principaliozem. Contra est 3. tō. etiam parte minùs principali ablatā non amplius datur totum: ergo si ablata abstinentia carniū aliquis est excusatus à secunda refectioe; quia in tali casu non amplius potest obtineere jejunium præceptum, etiam erit excusatus ab abstinentia carniū, qui secunda vice comedit; quoniam etiam talis non amplius potest obtinere jejunium.

Hæc objectio, quæ videtur non esse contemnenda, ut solvatur ex Thoma Sanchezio *in præc. Decalog. l. 4. c. 11. n. 42.* notandum erit ab Ecclesia ex duplici capite in diebus jejunii abstinentiam carniū præceptam esse: primò enim hanc abstinentiam præcipit quasi indirectè atque accessoriè, in quantum scilicet præcipit jejunium, & istud sine abstinentia carniū nequit consistere: hac ratione ad abstinentiam carniū solos illos obligat, qui jejunare debent: hinc excusati à jejunio, sive quia illud violaverant sive quavis alia ex causa, non peccabunt comedendo carnes contra præceptum

L I

jeju-



jejunii : cùm enim in tali casu cesset obligatio principalis jejunii, cessabit quoque obligatio accessoria abstinentiæ carniū.

7 Præter hoc insinuatū præceptum jejunii adhuc datur aliud quoddam generale Ecclesiasticum directè & per se; atque independenter à jejunii obligatione astringens omnes fideles ad carniū abstinentiam diebūs jejunii ab Ecclesia indictis: quòd si itaque aliquis non ampliùs obligatus ad jejunandum, in abstinentia tamen à carnibus non dispensatus carnes comedat, peccabit ille contra hoc secundum præceptum. Neque merè gratis & absque fundamento distinctionem istam præceptorum à nobis fieri, ex eo patet, quòd necdum vigesimum primum annum agentes non obligentur præcepto jejunii, teneantur tamen ad abstinendum à carnibus: item diebūs Veneris & Sabbati non urget præceptum jejunii, bene tamen mandatum abstinendi à carnibus.

Hīs præmissis facilis est solutio objectionis factæ. Resp. enim dist. sequelam: sequeretur, quòd habens facultatem sumen-

di secundam refectionem, eo ipso etiam posset comedere carnes, si ad abstinentiam carniū obligaretur à solo præcepto jejunii conc. sequelam, si ad illam præter obligationem jejunii obligetur adhuc ex alio præcepto generali directè ac per se, ac independenter à præcepto jejunii obligante ad abstinentiam pro omnibus partibus talis diei, negatur.

Veniendo ergo proximius ad nostrum casum. Dico I. Quando universalis quædam pro integra quadam communitate aut provincia concessa fuit facultas comedendi carnes, hīs semel sumptis nō ampliùs erit obligatio abstinendi à secunda refectione. Ita Authores citati pro tertia conclusione. Prob. Conclusio primò rationibūs pro tertia conclusione superiùs allatis. Prob. secundò, si usum & communem consuetudinem ejusmodi concessæ dispensationis observemus, deprehendimus, illā utentes etiam secundam refectionem sumere absque scrupulo, quia judicant tali concessione datam quoque facultatem sumendi secundam refectionem: ergo, cùm  
hæc



hæc praxis nota sit ipsis Episcopis, isti autem non reclamant, optimè inferitur, illorum mentem esse deobligare suos subditos etiam ab abstinentia secundæ refectio- nis, qui enim tacet, consentire videtur, præsertim, si dissentiens deberet loqui. Prob. Conclusio tertio, ut cum tota aliqua communitate dispensetur, semper major, & urgentior causa requiritur, quàm sit necessaria ad dispensationem cum particulari persona: Item major causa est necessaria, ut dispensetur in abstinentia carni- um, quàm secundæ refectio- nis: ergo potest præsumi, hanc fuisse tantam, ut non solùm à carni- um, sed etiam à secundæ refectio- nis absti- nentia deobliget.

9 Dico 2. Si cum aliquo eti- am particulari dispensatum fue- rit in esu carni- um sive, quia ci- bus quadragesimalis illi nocet, vel quia debilis est, ac virium recuperatione indiget, securè ta- men poterit taliter dispensatus secunda refectio- ne uti. Ita Au- thores citati pro priore conclu- sione. Ratio, quòd liceat secun- dam refectio- nem sumere, si ob debilitatem concessa fuit facul-

tas comedendi carnes, est, quia finis hujus concessionis admittit duplicem comestio- nem, & illa- rum gratia etiam privilegium concessum est. Pro licentia ve- rò sumendi secundam refectio- nem, si illa data solummodo fu- erit ob nauseam ciborum esuria- lium, præter allatas pro tertia sententia sunt sequentes. In regulis Juris in 6, habetur: *cui licet id, quod est plus, licet utique quod est minus.* Sed esus carni- um est aliquid plus, quàm absti- nentia secundæ refectio- nis: er- go cui esus carni- um est permis- sus, concessa pariter est secunda refectio: cùm majus & dignius semper trahat ad se minus dig- num: non autem vicissim, cui hæc est concessa, permittitur e- sus carni- um, cùm non liceat ma- jus, si licet, quod est minus. Tertio, si talis esset obligatus ad abstinentiam secundæ refectio- nis, tunc ideo, quia est obliga- tus ad jejunium: sed ad hoc non obligatur. Prob. min. qui non est obligatus ad id, quod est de es- sentia jejunii, non est obligatus ad jejunium: sed talis non est obligatus ad id, quod est de es- sentia jejunii. Prob. min. non

Ll 2.

est



est obligatus ad abstinenciam carniū; sed hæc est de essentia jejunii: ergo &c.

10 Superest, ut satisfaciamus objectionibus Adversariorum. Ad primam itaque respondemus, negando, quòd præceptum jejunii qua tale sit divisibile, dicimus enim, præceptum abstinendi à carne, si secunda refectio fuerit sumpta, esse à præcepto jejunii distinctum.

11 Et hæc ipsa responsio satisfacit etiam secundæ objectioni, uti etiam confirmationi, quæ asserit, sequi à jejunio excusari, qui horam consuetæ cœnæ anticipat; demus enim cum Sanchezio in *Decalogum* l. 2. cap. 11. n. 5. præceptum jejunii quoad accidentaliter per illud injuncta esse dividuum, hora verò certa comestionis est aliquid accidentale jejunio: ergo &c.

12 Si autem ex nobis quæras, quænam itaque res sit individua, & quæ dividua, reponimus cum memorato Sanchezio rem individua esse, quæ commodè dividi non potest, nec in parte salvatur ratio præcepti: dividua verò, quando in parte salvatur ratio præcepti, sicut in toto,

& una pars ab alio non pendet; licet autem aliquis anticipet cœnam, nihilominus talis censetur præceptum jejunandi moraliter integrè implere.

Quod concernit praxim quo-  
rumdam Episcoporum facultatem comedendi carnes concedentium, ut tamen à secunda refectio abstinenceatur, nequaquam ista est nobis contraria: similes enim restrictiones fiunt, vel quia sunt opinionis nobis contrariæ, vel quia rationabiles causas habent obligandi de novo suos subditos ad hanc mortificationem, sicuti illos ad alia quæpiam opera pia obligare possunt, atque solent, imò eo ipso, quod subinde & rarò apponatur hæc obligatio, colligitur, quòd absolute loquendo data facultate comedendi carnes etiam concessa sit licentia comedendi secunda vice; si enim obligatio abstinendi à secunda refectio maneret, licet sublata fuerit abstinencia à carne, non foret opus, hanc obligationem exprimere: ergo ex voluntate ejusmodi privati Episcopi oritur primùm obligatio omittendi secundam refe-  
ctio-



tionem, non autem ex virtute præcepti Ecclesiastici.

14 Quod denique dictum fuit dispensationem accommodari necessitati, quæ, cum exigat unicam duntaxat comestionem carni-um, non fuit concessa facultas secundam refectionem sumendi. Resp. hoc argumentum non procedere, si pro tota aliqua communitate fuit dispensatum: tunc enim communiter aliæ causæ; quàm mera necessitas persuadent dispensationem comedendi carnes: dein cum naturæ omnium non sint eadem, ideo innumeri scrupuli orirentur, cum singuli non immeritò dubitarent, utrum sibi unica comestio sufficiat: cum igitur iste modus utendi dispensatione obtenta comedendi carnes ab ordinariâ & communi praxi fidelium sit alienus, nequam ille astruendus erit.

Neque difficiliore objectiones sunt, quas faciunt, qui volunt, tali abstinendum esse à secunda refectione etiam ciborum esurialium, si potestas comedendi carnes eidem concessa fuerit, eò quòd à piscibus abhorreat, licet enim transmitta-

tur nullam in tali casu adesse necessitatem sumendi secundam refectionem, ex hætenus tamen disputatis constat, vî præcepti Ecclesiastici nullam obligationem ad hanc abstinentiam superesse: ergo si non ipse dispensans hanc novam conditionem adjecit, secunda comestio sumi poterit.

Ad rationem P. Reginaldi<sup>15</sup> Resp. verum esse, quòd concessa facultate recedendi à communi Ecclesiastica regula in tantum hoc permittatur, in quantum necessitas id exigat, casu quo res illa sit divisibilis & per impletionem partis satisfieri adhuc legi possit; quòd si autem lex præcipiat rem indivisibilem, qualem à lege jejunii præcipi probavimus, non erit locus allegatæ regulæ.

Azor. *Inst. Mor.* p. 1. l. 7. c. 10. hæc habet: cui auctoritate privilegii liberum est carnes edere, solutus est lege jejunii: tum, quia, tametsi in jejunio quadragenario præcipitur, ut abstineamus ab ovibus, & aliis, quæ originem trahunt à carnibus, & ne edendo etiam horam præveniamus, at natura & substantia in duobus



tantum consistit: ut abstineamus à carnibus, & semel tantum comedamus, tum etiam, quia usus & consuetudo communis id habere videtur; is enim, cui tale privilegium, hoc est esus carni-um conceditur, non solum pranderere, sed etiam cœnare solet, nec cum sua peccata Sacerdoti confitetur, hoc confiteri consuevit, quod sæpius, quam semel in die comederit.

Quia autem usu & consuetudine receptum non est, ut is, qui ante horam consuetam comedit, vel lac & ova comedendi facultatem habet, id totum à jejunio solvatur, ideo non est paritas inter hoc & prius,

## §. II.

### Resolvitur secundum Quæsitum.

*Utrum dispensatus ad comedendam  
carnem possit sæpius carnes  
comedere?*

16 **P**RO sententia negativa stant  
Joan. Sanchez *disp. 51. se-  
lect. num. 14. & 15.* atque ex parte  
illi Authores, qui secundæ sen-

tentiæ circa prius quæsitum ad-  
hæserant: rationes illorum sunt.

1. Præceptum abstinendi à car-  
nibus est negativum, conse-  
quenter semper est servandum,  
& omnibus diei horis obligat, ab  
illóque excusari nemo potest, nisi  
ob necessitatem, vel dispensa-  
tionem, at necessitas est de uni-  
ca duntaxat comestione, cui di-  
spensatio commensuratur: ergo  
si plures fiant, erunt istæ illicitæ.  
Confirm. Si cum aliquo est di-  
spensatum circa comestionem  
carnium in aliquibus diebus, non  
est propterea cum illo dispensa-  
tum per totam Quadragesimã:  
item, si aliquis ob debilitatem vi-  
rium potest licitè comedere car-  
nes primis diebûs Quadragesi-  
mæ, cessante infirmitate tene-  
bitur reliquâs diebûs abstinere à  
carnibus: ergo hoc ipsum de eo-  
dem die dicendum erit. Confir-  
matur 2. Si aliquis excusatus est  
ob carentiam Breviarii à dicen-  
do matutino non erit hoc ipso  
etiam excusatus à dicendis reli-  
quis horis: ergo &c. His ta-  
men non obstantibûs.

Dico 1. Si cum tota commu-17  
nitate aliqua dispensatum fuerit  
in comestione carniium, ita, ut  
ne-



neque causæ permoventes expressæ fuerint, neque additum, velle Superiorem quoad unicam duntaxat comestionem dispensare, tunc probabilius licitum est sæpius comedere carnes. Ratio hoc asserendi est communis praxis fidelium ejusmodi dispensationem taliter interpretantium, cum ergo hæc praxis optimè perspecta sit Ordinariis, insuper isti non reclamant, quòd tamen deberent facere, censentur in hoc consentire. 2. Per factam carniū comestionem jam fuit sublata obligatio jejunii, nec istud ulterius potest impleri: ergo potest talis secundam refectionem carniū sumere. Prob. consequ. si non posset, ratio foret, quia prohiberetur à præcepto jejunii, ab hoc non prohibetur, quia sublatum fuit, per dispensationem atque esum carniū meridiano.

18 Dico 2. Si cum persona privata dispensatum fuerit ob debilitatem vel morbum in comestione carniū, & non expressè additum, quòd circa unicam duntaxat comestionem dispensetur, etiam probabilius ille poterit sæpius comedere carnes.

Ita censet Palao *tract. 25. disput. unica pu. 8. n. 6.* asserens sententiam contrariam omnino consulendam esse, atque in praxi servandam, quamvis rarò servetur. Ratio autem id asserendi est, quòd opposita opinio nõ levibus scrupulis sit exposita: quis enim, ut cum Palao loquamur, examinabit, an infirmus lecto decumbens, febri continuâ laborans, unica tantum, vel bina comestione carniū indigeat: quis eum affirmabit violatorem esse præcepti Ecclesiastici, eò quòd bis vel ter carnes comederit, si unica comestio necessitati sufficiat? certè hæc aliena sunt à praxi & consuetudine recepta: ergo censendus erit talis absolute pro tali die excusatus ab abstinentia carniū. Confirmatur. Excusatio integra abstinenti à carnibus quolibet die non desumitur ex eo, quòd unica tantum comestione facta possit absque incommodo salutis vivere, sed ex eo, quòd cibus quadragesimalis tibi noceat: atqui hæc ratio perseverat omnibus horis diei: ergo præbet sufficientem excusationem abstinenti à carnibus tota die.

Ad



19 Ad rationes oppositæ sententiæ: Respondeo, obligationem abstinendi à carnibus tanquam præceptum negativum obligare singulis horis totius diei, nisi pro singulis horis aliquis eximatur vel ob dispensationem, vel ob necessitatem aut infirmitatem, eò quòd similes causæ absolutè ab illa eximant ob rationes adductas.

20 Ad primam confirmationem respondeo: Si morbus atque infirmitas absolutè cessaverit, vel dies, pro quibus facta fuit dispensatio, effluxerint, dari utique obligationem abstinendi à carnibus, eò quòd pro illis diebus, neque necessitas, neque dispensatio excuset; at in nostro casu circa eundem diem ponitur adhuc manere dispensatio, & ipsa infirmitas excusans.

21 Urgebis primò juxta nostra principia dantur duæ leges distinctæ, quarum una absolutè præcipit jejunium, & consequenter indirectè abstinentiam à carnibus, uti hæc præcipitur diebus Veneris & Sabbati: ergo dispensans circa unicam comestione videtur duntaxat dispensare circa legem jejunii, non autem

circa alteram, consequenter adhuc dabitur obligatio abstinendi à secunda comestione carniū. Resp. ejusmodi personam esse exemptam ab obligatione utriusque legis pro unica saltem comestione: ergo etiam ab utraque hac lege erit exempta pro secunda comestione carniū. Prob. conseq. Ratio, quæ eundem eximit pro unica comestione, etiam pugnat pro reliquis, uti ex disputatis constat.

Secundò, qui dat absolutè facultatem comedendi carnes, necessariò etiam dispensat in altero præcepto jubente abstinentiam carniū, permittente tamen secundam refectionem, quia tollit illi partialem obligationem ad abstinentiam carniū: ergo cum hoc secundum præceptum permittat secundam refectionem, erit illud sublatum per ejusmodi dispensationem in carniū abstinentia.

Dico: cui concessum id, <sup>22</sup> quod est minus, non est eo ipso concessum, quod est plus: atqui refeccio altera ex carnibus est quid plus, quàm sola refeccio secunda ex cibis esurialibus: ergo cui hæc concessa, non hoc ipso est



est concessa secunda refectio ex carnibus. Resp. dist. maj. cui concessum id, quod est minus, non est eo ipso concessum, quod est plus, si ratio concessi minoris post se trahat concessionem majoris neg. maj. si non post se trahat conc. maj. & sic dist. minor. neg. conseq.

Urgebis 2. Ratio allata pro altera comestione solum probat, quod liceat secunda vice comedere carnes, si indigeat secunda comestione: potest autem esse, ut illa non indigeat simpliciter, ergo obligatus erit ad abstinentiam secundae refectiois, & consequenter etiam ipsarum carnum. Resp. ex solutione primi quaesiti constare, talem exemptum esse ab obligatione omitteri secundam refectioem: ergo si simpliciter licet eidem comedere carnes, supposito, quod secunda vice refectioem licite possit sumere, poterit secunda vice comedere carnes.

23 Dico 3. Si cum aliquo dispensatum fuerit supra obligationem abstinendi a carnibus, eò quod a piscibus abhorreat, etiam iste probabiliter poterit secundò comedere carnes. Pro-

batur. Talis potest secundam refectioem absolute sumere juxta dicta: ergo cum eadem ratio, horror scilicet a piscibus pugnet pro secunda quoque refectioe, judicari potest, dispensationem se ad hunc quoque casum extendere.

## §. III.

## Resolvitur tertium

## Quaesitum.

*An taliter dispensatus secundam refectioem sumere possit die, quo a carnibus abstinet?*

**R**esponsio est affirmativa. 24 Hanc responsionem, eò quod hunc casum a nullo Theologo, quem ego saltem viderim, examinatum deprehenderim, ideo autoritate confirmare nequeo. Videtur autem idcirco non fuisse sub istis terminis examinatus, quia facilis ejusdem ex haecenus dictis resolutio haberi potest. Probatur autem hac ratione: Talis persona per facultatem comedendi carnes fuit exempta ab obligatione jejunandi: sed exempta ab obligatione jejunandi potest secundam refectio-

M m

ctio-



tionem sumere : ergo talis potest secundam refectioem sumere : minor patet. major probatur : talis homo habet licentiam comedendi carnes : sed habens talem licentiam est exemptus, cum comestio carnis & jejunium non sint duo compossibilia : ergo &c.

<sup>25</sup> Dices : Talis est exemptus à lege, casu quo carnes comedat, non autem si abstineat à carnibus. Contra est, licita comestio carniū jam supponit exemptionem à jejunio : ergo non primum aliquis eximitur per ipsam comestioem carniū à jejunio. Contra est 2. Dispensatio quam primum ista concessa fuerat, jam eximit ab obligatione legis : ergo non dependet ista exemptio ab esu actuali carniū. 3. Videtur communi persuasioni fidelium repugnare non posse aliquem accipere istam dispensationem, nisi totalem & integram, nec posse se eximere ab obligatione omittendi secundam refectioem esuriam, nisi etiam comedat carnes, & omittat mortificationem, quam ex abstinentia carniū perciperet. 4. Si obligatus ad solvendum quoddam

debitum hoc die, obtineo dilationem solutionis integri mei debiti ad mensem, ego tamen, obtenta hac facultate non obstante, nunc statim dimidiam partem solvam, nemo tuebitur, quòd amissum hoc privilegium, & consequenter obliger ad alteram partem statim quoque persolvendam : ergo etiam qui obtinuit facultatem comedendi carnes, & secundò se reficiendi, ex eo, quòd non utatur facultate comedendi carnes per hoc nò amisit facultatem secunda vice comedendi.

Dices : Facultas secunda vice <sup>26</sup> comedendi dependet à comestione carnis, si enim semel comedi carnes, possum secundam refectioem sumere : ergo si abstinui à carne, non possum secundam refectioem accipere. Resp. distincta facultas comedendi secunda vice dependet à comestione carnis in hoc sensu, quòd semel comedens carnes dein non amplius obligetur ad abstinentiam secundæ refectiois conced. ita, ut abstinens à carne nequeat habere facultatem secundò comedendi licet sit exemptus à lege jejunii, negatur. De-



Dein ponamus, quòd aliquis sæcularis solitus comedere carnes in Quadragesima invitetur à Religiosis ad prandium, in quo mera fercula esurialia eidem apponuntur, utique talis sine omni dubio & scrupulo domi noctu comederet carnes, hoc autem illicitè faceret in istis principiis, quia facultas comedendi carnes in secunda refectione dependeret à comestione carniū in prandio.

27 Dices secundò: Si privatim dispensatus ob horrorem naturalem ex comestione piscium percipi solitum abstinere à carne, cessabit ratio, ob quam facta fuit dispensatio: sed sublata ratione dispensationis etiam hæc cessat: ergo &c. Prob. antec. ratio finalis factæ dispensationis est, ut evitetur horror ex comestione piscium proveniens, sed si abstinetur à carne, non evitatur horror, cum iste proveniat ex actuali comestione piscium: ergo &c. Resp. neg. antec. in hujus probatione distingo major. Ratio finalis est ipse horror actualis perceptus ex actuali comestione piscium neg. maj. est horror, ut ita dicam habitualis

conc. maj. & sic distincta minor, neg. conseq. horror habitualis est ipsa constitutio naturalis ejusmodi personæ proximè apta ad concipiendam nauseam ex cibis esurialibus, hæc autem adhuc datur, licet actu ex comestione piscium nullum concipiat horrorem: ergo falsum est, quòd desinat causa movens ad dispensationem, tunc enim cessaret causa hæc, si ista habitualis & naturalis inclinatio non ampliùs daretur.

28 Dices 3. Ponamus, quòd talis se resolvat ad abstinentiam carniū tota Quadragesima continuandam, poteritne secundam refectionem sumere, si super comestione carniū cum eo fuerit dispensatum ob horrorem, quem concipere consuevit ex comestione piscium? Respon. hanc resolutionem non facile faciendam esse ab illo, qui ob horrorem & nauseam ciborum esurialium petiit dispensationem, cum enim non quilibet modicus horror sufficiat, sed requiratur notabilis, prævidebit ille periculum morbi ex comestione piscium oriturum; cum ergo ad hoc avertendum

M m 2

di-



dispensationem expetiverit, nequaquam ille toto tempore piscibus edendis se idoneum iudicabit: quòd si autem iudicet, se posse vincere horrorem istum, seu hunc non esse tantum, ut aliquod damnum ex eo sibi timendum sit, eo ipso iudicabit, non ampliùs subsistere causam concessæ dispensationis, consequenter ad secundæ refectionis abstinentiam obligatus erit; sicuti & jam obligatus est ad jejunium ultimis diebus Quadragesimæ, qui primis diebus ob morbum ab illo erat exemptus, casu, quo interea perfectè sanitati restitutus fuerit, eò quòd cessante causa cesset effectus,

Objic. Non potest dici, an dispensatus ad lactinia teneatur ad abstinentiam secundæ refectionis: si dicamus, quòd teneatur, tunc tenetur etiam dispensatus ad carnem, quia nulla datur disparitas. Resp. si antecedens est verum, tunc negatur paritas. Ratio est, quòd de jure communi non est de essentia jejunii abstinentia à lacticinis: ergo hoc comesto jejunium nondum est solutum: e contra abstinentia à carnibus est de essentia jejunii: ergo disparitas in ista solvit jejunii obligationem,



Ca-